

Quaesita. — **QUAER.** 1^o *Quaenam substitutiones Iure Gallico prohibeantur?*

Resp. Prohibentur omnes dispositiones, quibus aliquis vocatur ad aliquid accipiendum sub onere illud servandi, et dein reddendi tertio (19). Hinc non prohibentur substitutiones, in quibus bona non debent aliquandiu servari, sed statim ad tertium transmitti.

839. — **QUAER.** 2^o *Quaenam sint substitutiones a Iure Gallico permissae?*

Resp. 1^o Valent substitutiones directae, seu testamentum, quo secundus instituitur legatarius defectu prioris, si legatum accipere nolit vel non possit (art. 898.); 2^o item donationes, quibus ususfructus uni, et rei proprietas alteri datur, non habendae sunt ut substitutiones (20), cum uterque statim fiat rei sibi legatae dominus (art. 899.); 3^o valent dispositiones, quibus aliquis bona, quorum liberam dispositionem habet, alicui donat cum onere ea remittendi uni aut pluribus ex descendibus ipsius donatarii, usque ad secundum gradum tantum. — Ita lex 17 Maii 1828, *modificans Cod. civ.* art. 1048. et seq. (*).

QUAER. 3^o *An valeant in foro conscientiae substitutiones fideicommissariae lege prohibita?*

Resp. Videtur eadem esse quaestio ac pro testamentis, quae formalitatibus destituuntur; unde possessori ante iudicis sententiam favendum est (21).

840. **QUAER.** 4^o — *An valeant in foro conscientiae fideicommissa occulta pro causis piis, seu sub forma donationis simulatae, testamenti aut legati ficti in favorem alicuius privati?*

Resp. Affirm., si agatur de donationibus manualibus vel de rebus, quae diu conservari non debent ante transmissionem; vel etiam *probabiliter*, si non debent conservari usque ad mortem donatarii; quia lege non prohibentur (22).

Quod spectat ad alias donationes fideicommissarias, respondendum est sicut de testamentis ad pias causas quae formis careant. — *Recolle dicta sup. n. 818. (23).* — *V. Casus, n. 867. st seq.*

(19) Ius Gallicum (art. 896.) dispositiones istas non interdicat eo sensu, ut irrita sit omnino institutio heredis aut legatarii, sed legatarium ab onere aliis accepta servandi ac tradendi eximit.

(20) Vi art. 898. neque dispositiones, quas priori loco Auctor innuit, habendae sunt ut *substitutiones*. Quocirca ad quaestionem haec propositam reipsa ea tantum pertinent, quae mox tertio loco habentur.

(*) Art. 1048. id permittit pro descen-

dentibus solum usque ad primum gradum. Lex haec citata anni 1826. quae amplius permittit, abrogata est 7. Maii 1849. Cf. el. Allegre *Le Cod. Civ. comm.* ad art. 1048.

(21) Conf. dicta sup. n. 786.

(22) Nimirum si per leges hae dispositiones non prohibentur, nulla suppetit ratio, propter quam impugnari ipsae ab iis possint, quorum forte interesset, illas executioni non mandari.

(23) Constat ex sequenti declaratione

CAPUT III.

DE COMMODATO ET PRECARIO

841. — *Commodatum* est contractus, quo res ad solum usum (1) *gratis* conceditur pro certo tempore, cum onere rem eandem in individuo (2) restituendi.

Precarium, quod commodato affine est, definitur; contractus, quo alicui petenti rei alicuius usus conceditur, revocabilis tamen ad concedentis voluntatem. Et in hoc a commodato *precarium* differt, quod ad concedentis arbitrium revocabile sit.

Hinc *commodatum* differt 1^o a locatione, qua usus rei conceditur quidem, sed non gratuito; 2^o a deposito, quo res traditur non ad usum, sed ad custodiam; 3^o a mutuo, quo res in eadem tantum specie restituenda est.

Obiectum porro commodati aut precarii esse possunt res quaecumque, sive mobiles, sive immobiles, in civili commercio positae, modo consumptibiles non sint primo usu, cui destinantur.

Obligationes commodatarii.

842. — Generatim uti debet re sibi commodata tamquam bonus paterfamilias; speciatim vero

1^o Non potest uti re commodata, nisi ad usum vel sibi concessum, vel cui prudenter iudicat consentire commodantem, vel cui res ex natura sua destinatur; secus, re aliena abutitur, omniaque inde provenientia damna reparare tenebitur.

S. Poenitentiariae 23. Iun. 1844. Proposita enim sequenti quaestione:

Eudorius caelibatarius, heredibus necessarius destitutus, graviter decumbens, ut animae suae consulat, statuit partem bonorum in pia opera erogare. Ad hunc finem, Bonifacium legatarium universalem instituit per testamentum debitis vestitum formis. Scriptum autem privatim Bonifacio tradit, in quo piam manifestat voluntatem, postulatque ab ipso, ut eandem fideliter exequatur. Bonifacius vero, mortuo Eudorio hereditatem integram servat, ex eo quod testamento valido illam teneat. Postulatur, utrum in conscientia tutus esse possit.

Sacra Poenitentiaría respondet, in casu exposito Bonifacium teneri in conscientia ad implendam voluntatem Eudorii certe cognitam, pro foro conscientiae.

(1) Imo in hac definitione alii solent dicere, *certi usus gratia*, vel, *certo praescripto utendi fine et modo*; qua phrasi includi solet etiam *tempus*, non expresse idcirco semper determinandum.

(2) Auctor utitur modo loquendi proprio philosophorum magis, quam iuristarum; et idcirco rem restituendam dicit *in individuo*, si fuerit commodata, *in eadem autem specie*, si data mutuo fuerit. Aliter vero iuristae, qui in casu priori rem in *eadem specie*, in posteriori autem restituendam dicunt in *eodem genere*.

2^o Subire debet expensas necessarias ad rei conservationem, alere v. gr. equum commodatum; sed non tenetur ad sumptus extraordinarios, v. gr. ad curandum equum gravi morbo citra culpam suam laborantem.

3^o Rem commodatam praefixo tempore et propriis expensis reddere debet, etiamsi non repetatur; quia dies statuta pro domino interpellat. Si restitutionis tempus praefinitum non fuerit, restitui res commodata debet statim ac postulatam usum praestiterit (*).

4^o Si res commodata detrimentum aliquod ob concessum usum patitur absque culpa commodatarii, iste ad compensationem non tenetur, si deterior facta sit culpa ipsius iuridica, tenetur in foro externo compensare et iuxta Theologos non paucos etiam in foro interno, cum contractus sit in solam eius utilitatem initus. *Negant* tamen *probabiliter alii*, nisi de hoc peculiaris conventio intercesserit (3).

Obligatioes commodantis.

843. — 1^o Tenetur rem commodatam non repetere ante tempus praefixum, vel saltem, si hoc praefixum non fuerit, antequam commodatarius ea uti valeat: alioquin tenebitur de damno, quod alius expertus est ex intempestiva eius revocatione, cum ius alienum pacto acquisitum sic violaverit. Excipe, si res commodata fuerit in favorem solius commodatarii, qui ante tempus praefixum moriatur; vel si ipse commodans ex casu improvise re sua statim indigeat.

2^o Tenetur restituere expensas extraordinarias, quas urgentes et ad rem conservandam necessarias subiit commodatarius, dum alioqui commodantem monere facile non potuit.

3^o Rei commodatae vitia nociva, si quae noscit, commodatario aperire tenetur; alias damnum inde proveniens compensare debet.

4^o Tandem rei pericula atque detrimenta ex casu fortuito enata, seclusa mora, culpa, pacto, et peculiari lege, sustinere tenetur, quia iuxta axioma: *Res perit domino*. — V. *Casus*, n. 869.

(*) Ex iure G. art. 1882. et I. 1810. si res commodata perit casu fortuito, a quo commodatarius eam potuisset subducere, subrogata propria aut si non nisi alteram servare potens, suam praetulit, is tenetur de amissione alterius. Scilicet, quo-

niam contractus est in eius favorem tantum, commodatarius debet in pari causa alteri potius quam sibi consulere.

(3) Conf. sup. (n. 661. seq.) dicta de culpis, e quibus restituendi obligatio etiam in foro conscientiae profluit.

CAPUT IV.

DE DEPOSITO ET SEQUESTRO

I. *De deposito.*

844. — Depositum est contractus, quo gratis res custodienda committitur, et accipitur in integrum restituenda, quando deponenti libuerit.

Obligatioes depositarii.

1^o Tenetur rem depositam servare ac custodire ea cura et diligentia, quam homines diligentes adhibere solent in consimili re propria conservanda; hanc enim rei traditae custodiam suscipit. Si res deposita ex dolo vel eius incuria theologice culpabili pereat, ad restitutionem tenetur.

2^o Uti re deposita non potest sine consensu domini expresso vel tacito, vel saltem prudenter praesumpto; neque enim re aliena inconsulto domino uti licet.

3^o Tenetur rem depositam petenti statim reddere; nam secus rem alienam haberet, domino rationabiliter invito. Excipe, nisi deponens eam repetat in suum vel alienum damnum; vel nisi res sit furtiva, et dominus eam repetat; vel etiam (saltem in foro conscientiae) nisi depositarius iustam habeat compensationis causam. Res autem deposita reddi in eo statu debet, in quo reperitur tempore restitutionis, et cum fructibus ex ea perceptis. Si vero culpa depositarii deterior facta fuerit, hic ad damnum reparandum obligatur.

Obligatioes deponentis.

Deponens tenetur solvere expensas, quas depositarius subiit in re deposita servanda, illumque indemnem reddere pro omnibus, quae occasione depositi passus fuerit. Sic v. gr. si deposueris in alterius stabulo equum, solvere debes nutritionis expensas; et si equus ille morbo contagioso laboret, ex quo equi depositarii inficiantur, hunc indemnem reddere debes. Hinc effatum: *Officium suum nemini debet esse damnosum*. — V. *Casus*, n. 873. et seq.

II. *De sequestro.*

845. — *Sequestrum* est depositi species, quo res controversa deponitur apud tertium, ut post sententiam iudicis vel arbitri vincenti tradatur.

Duplex distinguitur sequestrum: *conventionale*, quod fit mutua contententium conventionione; et *iudicium*, quod sententia iudicis decernitur. De utroque satis erit innuere sequentia.

1^o Sequestri tam conventionalis quam iudicarii obiectum potest esse res mobilis vel immobilis.

2° Sequestrum conventionale potest esse non gratuitum, et tunc fit operae conductio, istiusque contractus legibus subiicitur. Si vero gratuitum sit, iisdem regulis subiacet, ac depositum. Non dissolvitur tamen, nisi mutuus partium consensus vel legalis causa superveniat.

3° In sequestro iudiciario custos curam boni patrisfamilias gerere debet; committens vero custodiae mercedem iure statutam depositario solvere tenetur. Sic de iure naturali et positivo.

CAPUT V.

DE MANDATO ET NEGOTIORUM GESTIONE

I. De mandato.

846. — *Mandatum* est contractus, quo obligatio aliquid agendi in commodum alterius gratuito suscipitur, v. gr. negotium aliquod conficiendi, aliquid emendi, vendendi, etc... Dixi, *gratuito*; nam si ob sancitum pretium suscipiatur, potius operae locatio nuncupatur (1).

Obligationes mandantis.

1° Adimplere debet omnes obligationes a mandatario contractas et mandato consentaneas; non autem id, quod ultra mandatum confectum est, nisi expresse vel tacite ratum habuerit.

2° Ea praestare mandatario debet, quae ad mandati executionem necessaria sunt, eique legitimos sumptus, quos fecit occasione mandati, refundere, etiamsi rem ad felicem exitum non perduxerit.

3° Indemnem praestare tenetur mandatarius ratione damnorum, quae, praecisa culpabili imprudentia, occasione mandati passus fuerit; nemo enim tenetur nec censetur velle alteri beneficium cum proprio dispendio conferre.

Obligationes mandatarii.

847. — 1° Tenetur mandantis negotium diligenter ac velut proprium gerere. Unde saltem de dolo, et incuria theologice culpabili tenetur.

2° Intra mandati limites se continere debet. Unde nihil pluris emere vel minoris vendere potest, quam ipsi praescriptum sit; secus enim vi mandati non ageret.

(1) Superius (in nota ad n. 673.) advertimus, ex natura mandati excludi quidem mercedem proprie dictam, non tamen *salarium* seu *honorarium*. Caeterum aliis non placet haec mandati definitio, in qua nulla habetur ratio *mandantis*, sed solum obligationis a *mandatario* assum-

ptae. Potius igitur *mandatum* sic definiendum putant: *Est contractus bonae fidei, consensu constans, quo negotium honestum alteri id suscipienti gratis gerendum committitur*. Voet lib. 17. tit. 1. n. 2.

3° Non potest mercedem exigere, nisi promissa sit, vel ipse eam antea petierit, nec ei licet suam operam occulte compensare.

4° Non potest *per se* sibi retinere lucrum si vendat nec pretii excessum, si infra pretium determinatum emat, nisi dominus consentiat. *Per accidens* tamen potest mandatarius seu proxeneta sibi retinere pretii excessum, 1° si res speciali eius industria et indebito labore melior evaserit; 2° si tacite convenit cum domino, se nihil ei daturum esse ultra pretium seu valorem determinatum; 3° si in meram ipsius gratiam venditor pretium imminuerit, vel emptor maiorem summam obtulerit. — S. Lig. n. 825. — V. *Casus*, n. 885. et seq.

Mandatum tribus modis scinditur: 1° revocatione mandati, quam mandans pro libitu facere potest; 2° renuntiatione mandatarii tempore debito notificata; 3° morte naturali vel civili, aut interdictione sive mandantis, sive mandatarii.

II. De negotiorum gestione.

848. — *Gestio negotiorum* est quidam *quasi-contractus*, quo quis absentis et ignorantis negotium utiliter gerendum suscipit, sine mandato expresso, sed ex eius commissione rationabiliter praesumpta.

1° Gestor negotii, perinde ac mandatarius, tenetur alterius rem administrare tanquam bonus paterfamilias, et damna absentis illata ex suo dolo, negligentia vel culpa resarcire. In pluribus tamen circumstantiis temperari potest, etiam in foro externo, obligatio compensandi damna, maxime quando ista proveniunt ex imperitia vel negligentia gestoris, qui rem alterius in defectu peritioris gerendam sumpserit.

2° Absens, cuius negotium geritur, tenetur conventiones a gestore rite factas servare, et ipsi expensas et damna ex tali gestione provenientia resarcire, etiamsi res male successerit (*).

Probabilis ius habet ad mercedem congruentem; secus enim pauci invenientur, qui negotia absentis gerenda sponte suscipiant. — Ita Antoine c. 4. *in fine*, et *alii*. — V. *Casus*, n. 889.

(*) Haec ex iure quoque G. art. 1372. | mercede retribuenda gestori in utroque
1375. ex iure I. art. 1441.-1444. at de | iure silentium sicut in iure romano.